

21. Quæri posset quousque sese extendat potestas Episcopi in pœna suspensionis infligenda ex informata conscientia.

Concilium Tridentinum concedit Episcopo facultatem suspendendi Clericum delinquentem a suis ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis. Ergo Clericus ab Episcopo suspendi potest non solum ab ordine sed etiam ab officio.

22. Poteritne suspendi Clericus ex informata conscientia etiam a beneficio?

Authenticam responsionem non habemus. Verum duplex ratio suppetit pro affirmativa sententia. 1°. Beneficium datur propter officium. Igitur si pœna afficere potest causam finalem, poterit etiam effectum attingere. 2°. Licet pœna sit strictæ interpretationis, tamen facultas concessa ad puniendum est res favorabilis, quia est liberalitas quædam superioris concessa inferiori ut magis expedite possit suo munere fungi.

#### TITULUS II.

#### De calumniatoribus.

1. Quod magis in accusationibus vitandum est, crimen est *Calumniæ*. Quare post titulum de accusatoribus statim præsens subnectitur titulus.

Calumniator ille est 'qui innocentem per malitiam falso eidem impacto crimine in iudicium trahit'.

2. Juxta dispositionem juris Romani in *l. 8. Codicis h. t.*, calumniatores præter expensas quas accusato reficere tenebantur, notabantur infamia et pœna talionis mulcebantur.

Hodiernis moribus adhuc pœna infamiæ in usu est, pœna autem talionis obsolevit, et in ejus locum successit pœna extraordinaria prudente arbitrio judicis infligenda. In capite *l. h. t.* contra Clericos calumniatores statuta est pœna depositionis, et exilii, sed ex contraria consuetudine factum est, ut etiam pro Clericis pœna extraordinaria servaretur, arbitrio judicis ecclesiastici relicta juxta culpæ qualitatem.

3. Calumnia juxta Gloss. in cap. 2. *h. t.* verbo '*Calumniandi*' præsumitur eo ipso quod accusator vel denunciator crimen nullo modo probaverit. Verum hæc præsumptio est solummodo juris, et proinde admittit probationem in contrarium sensum, immo concur-

rentibus adjunctis, potest concedi accusatori vel denunciatori canonica purgatio. Cap. 2. *h. t.*

4. Ad tituli nostri materiam referenda est Constitutio '*Sacramentum Pœnitentiæ*' data die 1. Junii anni 1741. § '*Et quoniam*' in qua Benedictus XIV. reservavit Summo Pontifici absolutionem illius personæ, quæ vel per se, vel studuerit vel procuraverit ut alius accusaret ad Tribunal Ecclesiæ de falso crimine sollicitationis ad turpia innocentem Confessarium, quod quidem peccatum calumniosæ accusationis est reservatum Romano Pontifici, quamvis nullam censuram unitam habeat. Idest casus hic est reservatus de se, et non propter censuram. Et quidem licet facta fuerit a calumniatore retractatio, tamen casus perseverat adhuc reservatus.

#### TITULUS III.

#### De simonia.

1. Primum crimen, quod in specie exponitur in libro V. est simonia, quæ a Simone Mago Samaritano nomen traxit, de quo in Actis Apostolorum sermo instituitur cap. 8.

Antiquitus in canonibus crimen hoc appellatum est *labes simoniaca*, vel etiam *hæresis simoniaca*, et sæculis IX. et X. qui hoc vitio maculabantur dicti sunt hæretici. Forsitan antiquitus simonia dicta est hæresis, licet per se reapse hæresis non esset, quia Simon Magus post receptum Baptisma, admiratus virtutem Apostolorum operandi prodigia, arbitratus est se posse ab Apostolis pecunia emere virtutem miraculorum patratorum; in quo erravit dicente Scriptura '*Gratis accepistis, gratis date*'. Quare Apostoli rejecerunt consilium Simonis magi, et Petrus ei respondit '*Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*'. Sæculo autem IX. et X. Simoniaci appellati sunt hæretici non quia revera hæretici erant, non enim theoretice propugnabatur posse res spirituales pretio temporali comparari, in quo notio hæreseos consistit, sed Simoniaci dicti sunt hæretici, quia adeo excreverunt abusus simoniæ et numerus simoniacorum, ut publica plurimorum agendi ratio quodammodo videretur insinuare depravatum sentiendi modum, circa notionem et naturam jurium et bonorum spiritualium. Ex eadem ratione propagatorum abusuum in societate Christiana Clerici concubinarij appellabantur hæretici, licet in theoria concubinatus execraretur a fidelibus.

2. Simonia a divo Thoma definitur 'studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum pretio temporali, vel re pretio aestimabili'.

'*Studiosa voluntas*' dicitur non solum quia *deliberate*, sed etiam quia vitium Simoniae praecipue procedit *ex callida voluntate* et *ex dolosi animi consilio*; unde fit ut Simonia inter excepta crimina recenseatur, quae multum quidem nocent, at difficile in foro externo patere et demonstrari possunt. '*Emendi vel vendendi*'. Haec verba assumuntur in sensu lato, quatenus quemcumque contractum vel pactum onerosum, vel tacitum vel expressum comprehendunt. Immo comprehendunt etiam contractus innominatos do ut des, facio ut facias etc., quia in hisce omnibus contractibus vel conventionibus, res temporalis dari vel promitti potest ea lege ut alter obligetur ad concedendum rem vel jus spirituale, ideoque adest semper correspectivitas inter rem temporalem et rem spiritualementem.

Dicitur '*aliquid spirituale*'. Per hoc intelligitur non solum id quod est prorsus incorporeum, uti est gratia sanctificans, vel alia dona Spiritus Sancti, sed etiam quidquid ordinatur ad salutem aeternam animarum, uti sunt Sacramenta, Officia Ecclesiastica et Sacramentalia.

Dicitur '*vel spirituali adnexum*' idest quidquid licet per se sit temporale, tamen prout emitur vel venditur habet connexionem in concreto inseparabilem ab aliqua re spirituali, uti sunt vasa consecrata quae vendantur uti talia, beneficia, jus patronatus.

Dicitur tandem '*pretio vel re pretio aestimabili*'. Haec verba pressius explicant indolem Simoniae, quae consistit in comparatione rerum ordinis superioris idest spiritualis, cum rebus ordinis inferioris, nempe temporalis, ita ut temporale sit velut correspectivum rei spiritualis, vel rei quae spirituali adnexa sit. Jamvero posita hac comparatione, res spiritualis vilescit, et ex dignitate sua decedit induitque naturam rerum communium.

3. Pretium temporale a Doctoribus tripliciter distinguitur, et nomine *muneris simoniaci* designatur. Can. 114. caus. 1. q. 1. Hinc aliud est '*munus a manu*' aliud '*munus a lingua*' aliud '*munus ab obsequio*'.

Munus a manu indicat non solum pecuniam, sed etiam quamcumque *rem temporalem* sive *mobilem* sive *immobilem*, immo et *jura* quae in mundo possidentur et suo valore sunt aestimabilia.

Munus a lingua exprimit *laudes, preces, intercessionem*, quae ab aliquo in favorem et in utilitatem alterius fiunt cum pacto ut hic alter primo conferat aliquid spirituale, vel aliquid spirituali adnexum. Simonia in hoc casu verificatur, quia laudes, preces, intercessionem, utiles esse possunt et pretio aestimabiles. Hinc Simonia non est si quis precibus vel officiosis actibus compulsus beneficium confert etiam minus digno, relicto digniori.

Munus ab obsequio designat quodcumque *obsequium* vel *servitium temporale* praestitum cum eo pacto, ut ob obsequium vel servitium pretio dignum, vel in ejus compensationem concedatur bonum spirituale, vel aliquid spirituali adnexum. Hinc si famulatus praestetur domino ut ab eo obtineatur beneficium est locus pacto Simoniaco.

4. Qua in re animadvertimus simoniam verificari etiamsi nulla sit proportio inter rem temporalem et spiritualem. Attenditur enim solummodo animus comparandi rem spiritualem cum re temporali, non autem quantitas pretii, dummodo res temporalis etiam minima sit loco pretii rei spiritualis, simonia verificatur. Hinc Doctores dicunt, in Simonia non dari parvitatem materiae. Quod principium demonstratur ex conceptu Simoniae necnon ex Cap. 20. h. t. ubi Clericus qui sex solida pro sua ordinatione solverat, poena perpetuae suspensionis plectitur.

5. At diligenter inquirendum est utrum res temporalis minoris momenti praestita fuerit animo Simoniaco, idest cum intentione assequendi rem spiritualem. Nam si secus sit omnis suspicio Simoniae exulat. Immo parvitas materiae, seu rei temporalis per se, aliis exclusis, potest esse sufficiens indicium seu argumentum ad excludendam penitus labem simoniacam. Et ita explicatur textus capituli 18. h. t. ubi Innocentius ex modicitate rei temporalis praesumit eam non fuisse datam loco pretii, ut alter obligaretur ad concedendam rem spiritualem, sed datam fuisse ex liberalitate. Cum enim Strigoniensis Archiepiscopus electus esset et confirmatus, petiit pallium a Romano Pontifice. Cardinalis missus est ad ferendum pallium, qui cum in equitatu suo indigeret uno equo, eidem Cardinali unum equum Archiepiscopi frater dono dedit. Ex hac oblatione timuit Archiepiscopus, ne esset labe simoniaca infectus. Pontifex respondit longe abesse prorsus maculam simoniacam, quia praesumi non poterat Archiepiscopi fratrem ceu pretium pallii dedisse equum.

## De divisione simoniæ.

6. Simonia alia est *juris naturalis et divini*, alia est solummodo *juris ecclesiastici*.

Ex jure naturali et divino positivo ceu vere simoniaca condemnata est comparatio rei *per se* spiritualis, vel adnexæ spirituali cum re temporali.

Juris ecclesiastici simonia est, quæ solummodo ab Ecclesia interdicatur. Ecclesia autem pœnis suis plectit quidem simoniam juris divini, sed etiam ultro procedit et jure suo positivo prohibet illos actus uti simoniacos, qui licet per se non importarent comparationem rei spiritualis cum temporali, tamen periculum est ne secum ferant eandem comparationem. Hinc damnatio Ecclesiæ procedit ex periculo simoniæ juris divini. Hinc ex positiva lege Ecclesiæ nova species simoniæ agnoscenda est, quæ proprie dicitur simonia juris ecclesiastici.

7. Porro hujus simoniæ præcipue sequentes casus adsignantur. Primus verificatur in *permutatione Beneficiorum* facta auctoritate privata. Sane permutatio Beneficiorum per se non importat simoniam juris divini, etenim commutatur officium sacrum cum officio sacro, et jus temporale adnexum spirituali cum alio jure ejusdem generis. Attamen si fiat auctoritate privata, permutatio hæc ab Ecclesia uti actus simoniacus interdicitur. *Capp. 5. et 7. 'De rerum permut.'* Periculum enim esse potest ne interveniat pecunia vel alia res temporalis, et uni alterove permutanti constituatur respectivum pretium cessionis beneficii sui. Secundus casus simoniæ juris ecclesiastici locum habet cum a duobus colligantibus circa aliquod Beneficium transactio ineatur auctoritate privata. *C. 4. 'De pactis'* et *cap. 4. 'De transactionibus'*. Etenim etiam in hoc casu periculum verificatur simoniæ juris divini.

Tertius casus est *renunciatio* Beneficii in favorem tertii. *Glossa in cap. 'Dilecto. De Præb.' Reiffenstuel. De Renunciat. § 5. n. 108.*

8. Secunda divisio simoniæ præsertim in ordine ad pœnas ecclesiasticas est ut alia sit *mentalis*, alia *conventionalis*, alia *realis*. Tria enim juxta Doctores considerari possunt in Simonia, nempe *interna voluntas*, *pactum* exterius inicum, et vel verbis vel signis expressum, *adimplementum initi pacti*.

Mentalis simonia non consistit in solo animo simoniaco, idest in sola interiore intentione comparandi spiritualia cum temporalibus, nam canonicæ leges prohibentes et punientes simoniam, non diriguntur ad actus mere internos, sed ut habeatur simonia mentalis, requiritur exterior intentionis manifestatio, facta verbis vel signis, ita tamen ut altera pars vel non cognoscat intentionem simoniacam, vel saltem ratam non habeat. De hac specie simoniæ loquitur caput 34. h. t. ubi Innocentius III. ut indicet necessitatem manifestationis intentionis internæ invocat principium 'Nobis datum est de manifestis tantum judicare.' Hinc in cap. ult. h. t. Gregorius IX. de animo simoniaco exterius non manifestato ait 'in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori'. Igitur ut habeatur mentalis simonia, requiritur manifestatio externa interioris intentionis. Simplex autem sufficit manifestatio, nam si accederet rati habitio, seu approbatio alterius partis, simonia mutaret speciem.

Ut autem simonia mentalis verificetur, requiritur ut tale sit obsequium, servitium, vel opus, quod revera influat in animum personæ quam quodammodo obligat ad concedendum jus vel bonum spirituale, vel aliquid adnexum spirituali. Unde Glossa in cap. 12. h. t. verbo '*promiserat*' ita scribit: 'Potest ergo licite quilibet servire Episcopo, vel alii spe futuræ remunerationis . . . dummodo *principaliter* hac intentione non serviat, nec Episcopus *directe* pro hoc servitio ei providere in beneficio intendat, cum ex debito ei non teneatur.'

9. Hinc si intentio simoniaca ab uno manifestata ab altero acceptetur, fit locus simoniæ secundi generis idest simoniæ conventionali, quæ nihil aliud exprimit quam pactum inter duas personas positum et acceptatum, præstandi aliquid temporale pro re spirituali vel pro re adnexa spirituali concedenda.

De simonia conventionali tractat caput 12. h. t.

10. Tandem realis simonia locum habet, quando pactum simoniacum, utrinque receptum, fuerit etiam executioni mandatum, videlicet est ipsa solutio pecuniæ, vel præstatio rei temporalis pro re spirituali, aut spirituali adnexa. Re enim ipsa facta est comparatio inter spiritualia et temporalia.

11. Supra enunciata species simoniæ locum habere possunt in qualibet re vel jure spirituali. Datur autem et alia species simo-

niæ, quæ propria est et verificatur in solis beneficiis, quæque appellatur *simonia confidentialis*, vel *confidentia simoniæ in beneficiis*. Hæc simonia damnatur in Bulla '*Intolerabilis*' S. Pii V. edita d. 11. Junii et 14. Novembris 1569, quæ est n. 82. inter Constitutiones ejusdem Pontificis.

Jamvero locum habet hæc species simoniæ, cum quis alteri procurat beneficium ecclesiasticum quocumque modo a canonibus recognito, scilicet vel eligendo, vel præsentando, vel conferendo, vel resignando in ejus favorem beneficium, sub eo pacto vel lege confidentiæ expressa aut tacita, ut is qui obtinuit beneficium suo tempore cedat vel resignet in favorem procurantis ipsius, vel alterius personæ ei benevisæ, aut pensionem ex beneficii fructibus solvat. Diximus eo *pacto* vel *lege*; nam si quis alteri procuret beneficium solummodo sub spe non autem animo obligandi illum ad cedendum sibi vel alteri beneficium ipsum, aut ad pensionem præstandam, non est casus simoniæ confidentialis, nec est locus pœnis confidentialis simoniæ subeundis. Est tamen dispositio specialis in simonia confidentiali, quoad pœnas incurrendas; videlicet ad subeundas pœnas sufficit si conventio simoniaca sit impleta etiam ab una tantum parte. Idest non requiritur simonia realis, sed sufficit conventionalis mixta cum reali. Diximus *beneficium ecclesiasticum*; nam si eædem conditiones confidentialiter verificarentur in pensione vel alio jure ecclesiastico procurando, esset utique casus simoniæ communis, non autem confidentialis.

12. Porro confidentialis simonia in ecclesiasticis beneficiis speciali modo solet considerari in reservatione *accessus*, *ingressus*, vel *regressus* ad beneficium.

Et primo quidem quis accedit ad beneficium quando eligitur vel præsentatur ad beneficium. Quare simonia confidentialis committitur per reservationem *accessus*, quando quis alteri procurat beneficium, vel eligendo, vel præsentando cum pacto confidentiali, ut electus vel præsentatus suo tempore a beneficio recedat, et ipse procurans vel alia persona sibi benevisa eligi vel nominari possit ad illud beneficium. Ex. gr. Patronus, quia non potest hic et nunc præsentare filium suum, qui defectu ætatis laborat; nominat alium Clericum cum pacto secreto, ut quando filius idoneus erit, clericus ille beneficio renunciaret et patroni filius ad beneficium præsentari possit.

13. Ingreditur quis beneficium quando illud assequitur per collationem liberam, vel per institutionem post nominationem patroni vel etiam per confirmationem electionis. Quapropter reservatur simoniace ingressus in beneficium, quando quis sive per liberam collationem, sive per institutionem, sive per confirmationem procurat alteri beneficium sub ea conditione confidentiali, ut provisu beneficio tempore suo renuntiet et ipse procurans, vel alia persona sibi benevisa beneficium ingredi possit. Ex. gr. Episcopus habet nepotem, qui nunc ob aliquem defectum beneficium nequit obtinere. Unde beneficium alteri clerico confert ea lege, ut hic alter beneficio renunciaret, quando nepos ille idoneus factus fuerit ut eidem beneficium conferre possit.

Reservatur pariter simoniace ingressus, cum quis beneficium sibi collatum sed nondum possessum dimittit vel alteri resignat sub ea conditione et pacto, ut hic alter suo tempore a beneficio recedat, vel etiam si hic provisu demoriatur, aut beneficium quomodocumque vacet ipse dimittens seu renuncians, aut persona sibi benevisa possit beneficium ingredi.

14. Reservatur regressus in beneficium, quando quis beneficium receptum et possessum dimittit vel resignat alteri, ita tamen ut qui beneficium obtinet suo tempore beneficio renunciare debeat, vel si beneficium quomodocumque vacet, beneficium ipsum redire debeat ad eundem dimittentem vel resignantem, aut de eodem beneficio provideri debeat persona sibi benevisa, hoc præmoriante, vel beneficium deserente remaneat sibi jus beneficium ipsum obtinendi et possidendi.

#### De pœnis statutis contra simoniam.

15. Crimen simoniæ sive ea sit realis sive mentalis, sive conventionalis damnatur a jure naturali et positivo-divino. Hinc sanctio propria utriusque juris ipsam etiam simoniam cujuscumque generis afficit. Insuper autem jus ecclesiasticum simoniam vehementer reprobans, adversus simoniacos pœnas canonicas constituit.

Si quæraturo vero utrum contra singula genera simoniæ militent pœnæ canonicæ, dicimus contra simoniam mentalem, et contra conventionalem imo nec contra simoniam conventionalem mixtam, quando scilicet ab una parte conventio fuerit executioni mandata, pœnas canonicas non fuisse statutas.

Nam ecclesiasticæ leges statuente pœnas in hac materia mentionem faciunt de solutione et receptione, quæ ex pactis simoniâcis proveniunt (cf. cap. 8. necnon *Extravag. 1. et 2. eod. tit. inter communes*).

Hinc inspectis sacris canonibus pœna ecclesiastica plectitur solummodo simonia realis, quæ considerata est proprie ceu crimen publicum revera nocens christianæ societati, dum binæ aliæ species simoniæ, licet in ratione simoniæ coram Deo, idest sub ratione culpæ completæ sint, potius uti conatus ad crimen consideratæ sunt.

16. Excipitur tamen negotium electionis Summi Pontificis, quod cum maximi momenti reputatum sit, in Ecclesia peculiaribus dispositionibus regitur. Hinc ex Constitutione Julii II. '*Cum tam divino*' in electione Romani Pontificis pœnis subjiciuntur promissiones et resignationes.

S. Pius V. ob abusus quotidie crescentes in collationibus beneficiorum suas pœnas statuit contra simoniam confidentialem, etiamsi ab una solum parte fuerit conventio observata.

Præstat vero animadvertere pœnas a legibus ecclesiasticis statutas, *ipso jure* plectere crimen simoniæ specificè in susceptione ordinum, in beneficiis ecclesiasticis et in ingressu in religionem. Etenim de hoc triplici simoniæ capite loquuntur Canones et præsertim *Extravagantes* citatæ necnon Bulla S. Pii V. '*Cum primum*'. Hinc simonia alia in materia puniendâ ab Ordinario loci dicitur in ead. Bulla S. Pii.

17. Et I<sup>o</sup>. *Relate ad ordines: suscipiens* ordines per realem simoniam *ipso facto* decernitur suspensus a suorum ordinum executione. Ita in *Extravag. 2. h. t. inter communes*; in qua renovantur contra simoniacos pœnæ veterum Canonum. Ex quo intelligitur quomodo ordinationes simoniacæ in antiquis Canonibus *vacuæ* dicantur. Ordinatio simoniaca utique valida est, nam substantialia ordinis verificantur, et uti talis revera agnita est in Ecclesia. Nam in ipsis Canonibus de simoniacè ordinatis dicitur ipsos haberi uti valide ordinatos, dummodo obtineant absolutionem a censuris. Igitur factæ ordinationes valebant. Vacuæ autem ordinationes simoniacæ dictæ sunt, tum quia non concedebant ordinis exercitium, tum quia non concedebant jus ad assequendam ab Ecclesia stationem, et congruam portionem fructuum bonorum ecclesiasticorum. *Conferens* autem ordines simoniacè, incurrit *ipso facto* suspen-

sionem a collatione cujuscumque ordinis etiam primæ tonsuræ ad triennium *cap. 45. h. t.* Accessit Constitutio Sixti V. '*Sanctum et salutare*' 5. Januarii 1588 in qua statuit Pontifex suspensionem hanc esse perpetuam, simulque contra collatorem ordinum simoniacum decernit interdictum ab ingressu in Ecclesiam, et utramque pœnam suspensionis scilicet et interdicti esse Papæ reservatam. Quod si simoniaci *collator* vel *suscipiens* ordines violaverint suspensionem, non solum contrahunt irregularitatem juxta capp. 1. et 20. '*De Sent. excommunicat.*' in VI., sed etiam si sit Clericus sæcularis, ex præscriptione Sixti V. incurrit privationem officiorum et beneficiorum, quæ beneficia Papæ reservantur. Si vero Clericus sit regularis incurrit privationem vocis activæ et passivæ et inhabilitatem ad eam recuperandam absque Papæ dispensatione.

18. Quæritur utrum istæ pœnæ (contra simoniam in collatione Ordinum admissam) adhuc vigeant.

In Constitutione '*Apostolicæ Sedis*' Pii IX. expressa mentio istarum censurarum non habetur. Verum ipsa Constitutio declarat confirmari censuras latas a Concilio Tridentino. Jamvero in *sess. 21. cap. 1. De reformatione* prohibetur quominus in ordinationibus aliquid detur vel recipiatur etiam sponte oblatum, ita ut si quis contraiverit huic dispositioni, ipso facto incurrat pœnas a veteribus Canonibus inflictas contra simoniacos. Notandum autem est Tridentinum aliquando censuras expresse infligere, aliquando uti verbis generalibus invocando scilicet, seu commemorando et renovando pœnas ab antiquis canonibus constitutas.

Nullum dubium est per Constit. '*Apostolicæ Sedis*' confirmari censuras a Tridentino *expresse et directe* inflictas. At quid dicendum est de Censuris, quas idem Concilium verbis tantummodo generalibus, seu invocando veteres canones decernit?

Authentica responsio huic quæstioni data non est. Nos autem arbitramur istas censuras non comprehendi in Const. '*Apostolicæ Sedis*, sequentibus ducti rationibus.

I. Scopus hujus Constitutionis fuit ut *determinaretur* numerus censurarum et obviaretur incommodis quæ ex incertitudine circa hanc materiam derivabant. Hoc patet ex verbis Pontificis '*Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, Nobis proponi jussimus*'.

Hinc S. Pontifex plenam recensionem conficit censurarum, quas vult permanere in suo robore. Jamvero si adhuc vigerent

censuræ omnes ad quas verbis generalibus alludit Concilium Tridentinum adhuc haberentur eadem incommoda, nec certus et determinatus esset censurarum numerus.

19. Ad rei confirmationem animadvertere præstat, quod quæstio fieri potest et revera facta est, quasnam inter varias pœnas antiquiores et recentiores in usum revocaverit Tridentinum. Sic ex gr. Concilium in casu clerici ordinati absque titulo renovat pœnas antiquorum canonum; sed juxta antiquissimos canones, et præsertim canonem *'Neminem'* dist. 79. ordinatus sine titulo erat ipso facto suspensus et ordinatio ejus vacua et irrita dicebatur. Innoc. III. autem in cap. *'Cum secundum'*. De *præbendis*, correxit rigorem canonum veterum et pœnas statuit potius contra Ordinantem decernens ipsum teneri ad Clericum sustentandum de suo, quoadusque non haberet aliunde ex quo viveret. Quæsitum igitur fuit quas ex istis pœnis, renovaverit Concilium Tridentinum, et S. Congregatio Concilii respondit renovatam fuisse dispositionem Innocentii III. (Cf. *Bened. XIV. Inst. eccl. 26.*)

Quod dictum est de ordinatis absque titulo, potest etiam repeti circa alios casus in quibus Concilium Tridentinum renovat antiquos canones. Quapropter si in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* comprehendi deberent censuræ ad quas appellat Sacros. Concilium verbis generalibus, non haberetur illa determinata censurarum recensio, quam Pius IX. conficere sibi proposuit.

20. II. Constitutio citata ita loquitur ut confirmet censuras, quas decrevit Tridentinum Concilium. Jamvero quando Tridentinum renovat pœnas antiquorum canonum, non est ipsum quod pœnas decernit, sed potius canones antiqui sunt, qui pœnas decernunt; Tridentinum solummodo commemorat, renovat, approbat. Quapropter juxta modum loquendi in Romana Curia receptum, censuræ illæ, quas per verba generica exhibet Tridentinum, non dicuntur revera censuræ a Tridentino inflictæ, sed citantur tamquam censuræ veterum canonum, vel alicujus constitutionis Pontificiæ, quæ per prima ejus verba indicatur. Ergo per Const. *'Apostolicæ Sedis'* confirmantur solummodo Censuræ, quas Tridentinum directe et explicitè constituit.

21. III. Concilium Tridentinum in *sess. 24. c. 14. De Reform.* contra simonias commissas in beneficiis renovat pœnas veterum canonum, et ideo si censuræ ab eodem Concilio per verba generalia expressæ, continerentur in Constit. *'Apostolicæ Sedis'*. dum

illa Constitutio confirmat censuras Tridentinas, jam necesse non fuisset in ipsa Constitutione specialem articulum ponere, quo censura excommunicationis contra simoniam realem decerneretur. Nam in *Extrav. 2. inter communes h. t.* contra simoniam realem decernitur excommunicatio et ceteroquin Tridentinum modo generali renovavit antiquas pœnas contra simoniam. Atqui inter excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici reservatas simpliciter in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* n. 8. habetur censura contra reos simoniæ realis in beneficiis. Igitur ut censuræ veterum canonum ad quas generice Tridentinum alludit, vim habeant, necesse est, ut expresse referantur in ipsa Constitutione, ita ut silentium in hac re exhibeat argumentum abrogationis hujusmodi antiquarum censurarum.

Jamvero Constitutio *'Apostolicæ Sedis'* silet tum de censura suspensionis, tum de censura interdicti in hypothesi ordinationis simoniacæ. Ergo istæ censuræ amplius non vigent et per consequens immutatum est antiquum jus. Ratio immutatæ disciplinæ quoad sacram ordinationem hæc esse videtur, quia nempe hodiernis moribus cum sacra ordinatio per se non importet jus ad beneficium obtinendum, sed satis sit titulus sufficiens sacre ordinationis, recessit generice periculum criminis simoniæ in ordinibus conferendis, et de facto non verificantur, saltem frequenter, casus simoniæ criminis admissi in collatione sacrorum ordinum.

22. II. De *simonia relate ad beneficia*. Quævis collatio beneficii *ipso jure* est nulla, si simoniace est facta. Ita in cit. *Extrav. 2. h. t. et cap. Mattiacus 23. h. t.* Hæc provisio beneficii est nulla, licet simoniæ reus non fuerit ille, qui assequitur beneficium, sed extranea persona. Sane in cap. 23. h. t. species proponitur de Clerico electo a majori parte Capituli, contradicentibus nonnullis Capitularibus, cujus electio esset a Superiore confirmanda. Qui obstiterant electioni volebant etiam difficultatem objicere confirmationi. Electus nihil egit, sed ejus amicus principi discordiæ, sciente nec contradicente ipso electo, solvit quamdam pecuniæ summam, ut recederet ab oppositione facienda et reapse tacuit. Quare electus confirmationem obtinuit. Deinde vero conscientie stimulis agitatus interrogavit Romanum Pontificem quid sentiendum esset et faciendum in casu et Romanus Pontifex respondit optime eum facturum si renunciaret Episcopatu simoniace suscepto. Ex hujus capituli dispositione deducunt Auctores simoniam